



*Dilecto Nobis in Christo Rev.mo Can. Salvatori Durante  
Rectori Basilicae Mariae SS.mae Immaculatae Catacen  
salutem in Domino sempiternam.*

Pia ac singularis devotio, quam erga Sacram Imaginem Deiparae Virginis, quae S. Lucae Evangelistae depicta manu in sacrosancta Nostra Liberiana Basilica multis abhinc saeculis asservatur, clariorque in dies elucet miraculis, quae Deus per illam omni tempore ad usque praesens operatus est, habere Te constat, congrue promeretur, ut iis quibus ex Apostolica dispensatione datum nobis est, favoribus Te prosequamur. Quapropter cum a Nobis petieris, ut attenta precipua religione, quam erga ipsam Dei Genitricem, eique tam specia-  
liter dicatam Basilicam nostram Liberianam ex animo profiteris, Ecclesiam Mariae SS.mae Immaculatae Minorem Basilicam sitam in Dioecesi Catacen Sacrosanctae Basilicae Sanctae MARIAE MAIORIS unire, aggregare et incor-  
porare velimus, quo participationem et communicationem gratiarum, indul-  
gentiarum, privilegiorum indultorumque Apostolicorum Nobis et Eidem Liberianae Basilicae a Summis Pontificibus concessorum dicta Ecclesia conse-  
qui possit et valeat; Nos attentis commendatione Ordinarii tui et decreto Capitulari d. 30 Ianuari MCMLV tam pio desiderio, quantum cum Domino possumus, satisfacere volentes, auctoritate ordinaria, et qua vigore indultorum et privilegiorum Apostolicorum praedictorum fungimur, et praesertim attenta facultate a fel. record. Clemente XII per suas litteras Apostolicas datas sub annulo Piscatoris die 8 Iunii MDCCXXXVI Nobis benigne concessa, petitam aggregationem Tibi indulgemus, ita ut omnes utriusque sexus Christifideles ad praefatam Ecclesiam confluentes, rite tamen dispositi, iis indulgentiis, spiritua-  
libus privilegiis et gratiis frui, potiri et gaudere in forma Ecclesiae consueta possint, quae in praedictis Clementis XII litteris continentur. Indulgentiarum autem, spiritualium privilegiorum et gratiarum huiusmodi summarium est, quod sequitur, videlicet: Plenariae: in Festo Conceptionis, Nativitatis, Annun-  
ciationis et Assumptionis Beatae MARIAE Virginis. Partiales: in festo Purifica-

tionis Beatae MARIAE Virginis, vigintiquinque annorum et totidem quadragenarum; Visitationis, quinque annorum et quinque quadragenarum; Praesentationis, quatuor annorum et quatuor quadragenarum; in Festo Exaltationis SSmae Crucis trium annorum et trium quadragenarum; in Festo Dedicationis S. Michaëlis Archangeli, duorum annorum et duarum quadragenarum. Item Indulgentiae stationales: Domenica prima Adventus; Feria IV Quatuor Temporum Decembbris; Vigilia Nativitatis Domini; Die Eiusdem SSmae Nativitatis; Feria IV Quatuor Temporum Pentecostes; in Festo Dedicationis S. MARIAE AD NIVES; Feria IV Quatuor Temporum Septembbris. In quorum praemissorum fidem praesentes per Rmum Secretarium Nostrum subscriptas, ac sigillo Capitulari munitas expediri mandavimus.

Datum ex Aula Nostra Capitulari apud S. MARIAM MAIOREM die secunda Mense Februario Anno MCMIV.

Reocanter Cardinalis Verte  
*Patriarch. Bas. Lib. Archipresbyter*

Canc. Caesar Federici  
*Secretarius Capituli*